



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

v. De electione & electi potestate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

## De electione, & ele. po.

di concessa potestate: si eam innouare conatur, etiam elegendi priuilegium amittunt. aliis, licet paucioribus, postulandi vel elegendi licentia esto.

### De electione & electi potestate. Tit. 5.

1. *Nullus.* **Q**UA in ecclesia duum triumve congregatio fuerit, eam presbyter, aliter quam eorum canonica electione ne indipiscitor, alioquin expellitor.
28. *Quod sicut. in prin.* **A**d electionem autem sic peruenitor. Qui sunt in ecclesia clerici, in ipsa cathedrali ecclesia, si fieri potest, conueniunt.
35. *Coram* **E**t qui in prouincia sunt calantor, vocantor.
55. *In generali.* **I**n regno Francia regnum ipsum ex consuetudine vna prouincia habetor.
18. *Cum inter.* **Q**ui vero ita remoti erunt, vt calari non debeant, aut vacationis ecclesie certiores facti sunt, nec expectantor.
36. *Bona. ij.* **E**t qui calari debebunt, ante mortem eius cui successor quaerendus est ne calantor.
42. *Quia propter θεμ.α. Illud autē* **Q**uod si qui iusto impedimento detenti venire non potuerint: vnum de conlegio procuratorem constituere permittuntor. de impedimento iureiurando fidem faciunt.
28. *Quod sicut. in prin.* **C**ontemptis qui interesse debent (ni postea consenserint) electio inritator, infirmator, alioquin conualescitor. Qui calati sunt, aut sine periculo calari non potuerint, etsi vel noluerint vel nequiuerint interesse, contempti ne dicuntor.

Quicquid sit, ultra treis menses cathedralis regularisve ecclesie prelato ne carento. Intra hos iusto cessante impedimento ni fiat electio: electores ea vice elegendi potestate priuati funto. hæc ad eum, qui proxumò præest, deuoluitor. Is de persona ipsius ecclesie, si qua est idonea, sin minùs de alia ecclesie prouideto.

Quod si qui sine superioris licentia elégere prohibiti sunt: id tempus ipsis, ex quo in mora fuerint licentiam petendi, currito.

Qui ex vna ecclesia ad aliam translatus est monachus, is in prelati relicte ecclesie electione, etsi id, cum transferretur, ex abbatis & conuentus consensu recepfit, vocem ne habeto.

Nec laici quid in pontificis electione presumunto, nec vsurpata consuetudine iuuantor.

Nec si patronus ecclesie est, & super eo transigisse dicetur vt elegat, transactione iuuator. Is, cui subest ecclesia, eam nihilominus liberè ordinato. Patrono tantum, vt, si velit, suum honestum impertiatur ad sensum, denuncia- tor.

At si alterius ecclesie clerici ius elegendi pre- tendunt: cum protestatione admittuntor.

Sic ergo presentibus omnibus, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse, ad electionem progreditor.

Electores vnum in locum coeuntor, spiritus sancti gratiam inuocantor.

Et si quidem communis omnium quasi per inspirationem consensus interuenerit: bene esto.

41. Ne  
pro defe-  
ctu.

60. His  
quibus.

47. Con-  
stitutis.

56. Mas-  
sana.

51. Sacro-  
sancta.

50. Cuma-  
na.

42. Quia  
propter in-  
prin.

14. Cum  
terra.

42. Quia  
propter in-  
prin. &

De m. f.

## De electione, & ele. po.

ea vera electio censetur. Sin vota anquiri oportebit: treis de conlegio fide digni adsumuntor. Hi secretò, & singillatim cunctorum vota diligenter exquirunto. ea in scribtis redigunto. mox in communi, idque solenniter, non in furuo publicanto. quin publicentur, adpellatione ne retardator.

38. *Publicato.* Scrutinium cum publicassint, vota conferunto, deinde elegunto. nihil varianto. ni élegant, per superiorem coguntor.

42. *Quia propter. in prin.* In summa: votis conlatis, in quem maior & sanior pars capituli consensit, is elegitor.

50. *Cum na.* Ni votorum conlatio in communi facta fiet, electores elegundi potestate priuantor.

46. *Cum post.* Electio autem post consensuum publicacionem, & conlationis tractatum nullo modo protrahitor, diffinditor.

14. *Cum terra.* Quod si quid in nominata persona, vel electionis modo peccatum est: tandiu in electione diligentiam anquisitionis, donec vacati ecclesiæ de persona idonea prouiderint, adponũto. Elegundæ personæ, vel irritandæ electionis facultas nec ex consuetudine penes vnum esto. Electioni tamen factæ vt consentiat, honestus alicuius adensus requiri ne prohibetor.

28. *Quod sicut.* Nec si rex sit, simplex ei nominatio, sed electio præsentator.

52. *Cũ in veteri.* Si qui tamen cum aliquorum consilio elégere à summo pont. iussi sunt: in iplo electionis tractatu consilium requirunto. Cum requisierint, respõsum exspectãto. Etsi post requisierint, aut respõsum nõ exspectassint: electio inualida esto.

Plurium

Plurium autem vota, ea duntaxat, quæ ad maiorem capituli partem peruenerint, valent. 50. *Cum*  
*na.*

Alioquin electio anquisitis singulorum voluntatibus ex minoris partis ad sensu facta nulla esto. ea, nec si post alii consensint, ita ut maior pars fiet, confirmator. 29. *Ad-*  
*ditis.*

Ni sanior quoque pars sit, minori parti idoneam personam elegere licet. unde si à maiori parte electus electionis tempore in scientia vel ætate defectum patitur: à minori parte impedi-  
mentis cessantibus bono zelo electio facta firma valida esto. 22. *Dudã*

Itaque meritis & authoritate præcellentes præferuntur. 57. *Eccle-*  
*sia ij.*

Electæ personæ respectus habetor. ex hoc elegantium zelus intellegitor.

Maior ergo pars si se electione indignam reddidit, quòd ante confirmationem præter superioris licentiam ad administrandum recepfit, vim parasit, contra adpellationem elegit: reliquorum etiam paucissimorum electio firma esto. Si par vtriusque delictum erit: superior deuoluta ad eum potestate ecclesiam ordinato. 23. *Bona*  
*1.*

Inter elegendum autem si fortè adpellatum fiet: adpellatio ea tantùm, quæ per eum, cuius interfit, interiecta sit, electionem impedito. unde qui renunciauit ecclesiæ aut iuri, adpellans ne auditor. 16. *Cum*  
*inter R.*

Eius quoque, qui nec interesse electioni, nec elegere debet, licet ipsi electio præsentari debeat, ut illi suum præstet ad sensum, adpellatione electio ne differtor. 28. *Quòd*  
*sicut.*

## De Electione & Elect. potest.

19. *Cū no-  
bis.* Adpellatum ita si fit, ne qua nisi canonica fiat electio: canonicè fieri electio ne prohibitor, contra adpellationem, etiam si post eam fit, ea facta esse ne dicitur.

53. *Con-  
gregato.* Sed & si qua electio facta fiet, & post, cum nulla esset ipso iure, irrita nunciata: secunda etiam ante illam cassatam facta firma esto.

10. *Consi-  
deravi-  
mus.* Alioquin si qua prior electio fuit, aut interiecta adpellatione contra statutorum ecclesiæ tenorem electio facta fiet: irritator.

40. *Scri-  
bitum est.* Eorum, qui conuenerunt, si pars vnum in prælatum postulat, pars alium elegit: ni postulato duplo maior pars stetit: electio valet. Sed & postulata à duplo maiore parte persona indigna si fiet: postulantibus eligendi iure priuatis adhuc electio præfertur.

6. *Licet.* Romanus quoque pont. ni à duabus Cardinalium partibus consentientibus electus sit: episcopi nomen sibi ne vindicato. eius electio, cum superior non fit, ad quem de iure recurri possiet, dubia ne esto.

46. *Cum  
post.* Porro antequam quis electus sit, eius consensus ne requiritur. ordine alioquin peruerso electio vitiata inducitur, infirmator.

48. *Eccle-  
sia j.* Sed nec ante ad cathedram deportator. Si deportatus fiet: id pro electione ne reputator.

21. *Cum  
inter.* Cum erit electus, si consentire volet, nec in eius personam quicquam rectè obici potest: confirmator. Cum consensu inter ipsum & elegentes quasi coniugale vinculum spirituale contractum esto.

Ea quoque elegundi ratio canonica habetur. *42. Quia propter.*  
 Elegundi potestas viris idoneis committitur, hi vice omnium vota ferūto. Aliter electionem nemo facito.

Iidem si elegerint: de totius capituli ad sensu *30. In casibus.*  
 electio facta habetur. Re non integra, postquam de electione tractatum habere cœperint, ea potestas ne reuocatur.

Immo & in vnum solum quibus elegundi ius *8. Causam que.*  
 est electionem si conferant: de qua persona is ecclesiæ prouiderit, ipsi, si idonea est, eam recipere tenentur.

Huiusmodi autem arbitri si sibi creditæ potestatis terminos excessint: electio cassatur, circumducitur. Eorum aut maioris partis eorum, si res aliter probari nequeat, iuramento statur.

Quod si conuenit, ut quem ex seipsis vel aliis *33. Cū iure.*  
 omneis, vel maior pars eorum nominaret, reciperetur: vnus ex ipsis si ab vna parte æquali nominatus est, & cōsentit, nec aliquid ei obest, recipitur.

Electiones contra præscriptas formas nulli *42. Quid propter.*  
 faciunt. Si faxint: ea vice elegūdi potestate priuantur.

De elegētibus verò & elegūdis hæc posita sunt. *16. Cū inter. R.*  
 A suspensis & interdictis facta si fuerit electio: cassatur, inducitur.

Episcopus, ni de legitimis nubtiis natus fiet, *7. Cū in cunctis.*  
 ni 30. annorum exactorum, ni vita & scientia commendabilis, nemo elegitor. Inferioribus quoque ecclesiæ ministeriis decanatu, archidiaconatu, aut aliis curam animarū habentibus

## De Electione & Electi potest.

annexam, Itē parrochialis ecclesię regimini, nisi qui iam 25. annum adtulerint, moribus & scientia conspicui, ne præficiuntur. adsumpti, præfixo à canonibus tempore, eos, qui ministeriis suis conueniunt, ordines recipiunt. admoniti si neglexint: ministerium ipsum ad alios transfertor, eorum prouocatio nihil obest.

44. *Nihil est.*

Itaque episcopi ad sacros ordines & ecclesiasticas dignitates eos, qui commissum sibi officium adimplere potestint, promouent. si secus faxint: puniuntor.

7 *Cum in cunctis.*

Clerici autem si contra formam prædictam elegerint: elegerint tunc potestate priuati, & ab ecclesiasticis beneficiis triennio suspensi sunt. Episcopus si contra hæc faxit, si fieri consensit: id genus officia & beneficia conferendi potestatem amittit. per capitulum aut metropolitatum, si capitulum concordare nequibit, ecclesia ordinator.

26. *Per inquisitione*

Denique indignus si electus est: qui scientes prudentes elegerint, & ab iis beneficiis quæ obtinent, quibus indignos se fecerunt, suspensi sunt, & ab iis ad quæ promoti postea fuerint, amouentor.

25. *Cum Vintoniēsis.*

Elegendi autem duntaxat ea vice qua peccarunt potestate priuati sunt. alia electio quotiescunque fiet, cum aliis admittuntor.

Ex prædictis hæc inferuntor.

54. *Dudum.*

Qui personatū seu curam animarum habens beneficium (ni cum ipso fiet à sede apo. dispensatum) cū pluribus ecclesiis parrochialibus contra Lateranense concilium obtinet, ne elegitor.



Si quam personam canones, nisi cum ea dispensatum fiet, ordinari prohibent: et si multa dispensandi causæ in ea concurrant, ne elegitor. Si electus sit: canonis authoritate electio cassata esto. Elegendis, ni ignorantiam allegantes probassint, aut ollis parcatur, pœna in canone expressa infligitor. Sin eam ad obtinendum dispensationis beneficiû postulant: iis sine fraude esto.

Electio si per secularis potestatis abusum facta fiet, & electus electioni de se factæ consentit: electionis commo careto, ad dignitatem ineligibilis esto. Qui elegerint, ab officiis beneficiis per triennium suspenduntor, ea vice eligendi potestate priuantor.

Sed & si quis se, quasi communi voce petitû literas populi accepisse adseueras, excuset: nihil illis iuuator. ni penituerit: laica etiam in fine cõmunione priuator.

Simonia autem si electo non consentiente nec ratum habente commissa sit: episcopus super prelatione, ad quam sic electus fuit, dispensare ne valeto, in beneficiis simplicibus post resignatione liberam recipiendis dispensatio eius tolerator.

Si cuius electio non vitio personæ, sed cum in electionis modo peccatum esset, cassata est: nisi si moniacæ prauitatis aliquid intercessit, is etiã in eadem ecclesia rectè elegitor.

Eius, qui epileptico morbo laborat, electio confirmator. Electum verò, quòd ex alia ecclesia sit, etiam si æquè idoneus quis in ea-

## De Electione & Elect. potest.

dem, ad quam elegitur, ecclesia fuit, nihil lædito.

5. *Quia diligētia.*

Item cuius electio secundum formam canonum ritè celebrata fuerit, si nec alia impediunt: superiori, quòd in schismate fuerit ( si eo abiurato ad vnitatem ecclesiæ rediit ) dispensatiuè remittere licet.

49. *Cū in magistrū.*

In regularibus verò domibus sibi subiectis, vt taleis sint abbates, qui professione monachi & regularis canonici fuerint, aliis amotis episcopi omnino curanto.

37. *Cū ad nostram.*

Nec enim quis prius in abbatem, quàm monachus fuerit, elegitor.

38. *Officij*

Néve magister, antequam discipulus, esto. Nec quis protenus cum monachus effectus est, in abbatem elegitor. Si quo monacho factò actutum eius subsequuta est electio: irritator. at postquam fuerit in regula competenter catechisatus, purgatione recepta, si vrgens necessitas & euidēs vtilitas monasterii postulat, in abbatem adsumitor.

27. *Cum causam.*

Denique qui in monasterio electus sit abbas, quique in ipso sunt clerici, ni regularem obseruantiam professi sient ( licet ab aliis per multa tempora secus vsurpatum fiet ) vel regulam in ipso constitutam profiterier & seruare, vel ipsam dimittere coguntor.

13. *Cū monasteriū.*

Ex predictis hic casus excipitor. Cuius monasterij religiosi religionis obseruantiam & ordinem abiecerint, si quem quidam ex ipso fratres ex eremo electum boni testimonij virum postulassint: eum monasterio præficere episco-

po permittitor.

Si quorum electio semel quasi minùs legitime facta, non vitio ipsorum infirmata est, electoribus in aliam personam conueniendi facultate reseruata: vtrique electorum fama sua integra feruatur. In aliis ecclesiis (si deus gratiã duerit) & in ipsa qua exciderint (preter istam ordinationem) promoueri valent.

Electiones vt præmittitur factus, si nihil erit quod electum impediatur, superiores confirmato, electi vitam & actus vbi conuersatus fiet, ibi anquirunt.

Itaque de persona & meritis electi, vbi conuersatus est: de studiis verò elegantium & cæteris quæ causam ipsam instruunt, vbi electio celebrata fuerit, ibi quæritur.

Electionis ergo processum & electi personam superior examinato. In ea re si quid parum cautè præsumpserit, maxumè si insufficientis scientiæ hominem, inhonestæ vitæ, vel ætatis illegitimæ adprobarit: confirmandi primum electi successorem potestate priuator, & à fructuū proprii beneficii perceptione suspēditur. Si id malitia fecisse conuincatur: grauiori ultioni subiaceto.

Ro. pont. electum si confirmat: defectus de plenitudine potestatis supplere, & si qui simplici excommunicatione ob solam participationem ligati interfuisse dicantur electioni, id ne noceat, sancire valeto.

Idem ipse, cum de rege in imperatorem promouendo (cuius examinandi potestas, ius, &

B iiii

10. *Consideraui-*  
*mus.*

3. *Post-*  
*quam.*

40. *Scri-*  
*brum est.*

44. *Ni-*  
*hil est.*

39. *Illu.*

34. *Vene-*  
*rabilem.*

## Electiōe & Electi potest.

authoritas ad eum solum pertinet, electione penes Germanos principes existente) agitur: de meritis electi ex officio suo quærito.

19. Cū nobis.

Nam etsi nihil contra electi personam dicitur, nemini cito manum imposito. Sanè tam rationes, quàm canones sequenti, quod prouidè factum esse compererit, propter vrgentē necessitatem & euidētē ecclesie vtilitatē, quam canonibus ex parte satisfactū non sit, confirmare liberum esto.

44. Nihil est.

Qui electi ad Ro. pont. immediatè pertinent, officii sui confirmationem vel ipsi præsentēs petunt, vel personas idoneas, per quas anquisitio fieri possiet, amandant, transmittunt. si nihil ollis ex canonicis obuiet institutis: ab eo officii sui plenitudinem indipiſcunt.

4. Significasti.

Ab eodem si archiepiscopus pallium, suæ dignitatis insigne, petit: ecclesie prælatio, ni subiectionis debitæ iura præstito sacramento soluerit, olli ne imponitor.

50. Cumana.

In confirmatione ( vt ad eam redeamus) si ii quibus de electionis iure quæstio referetur, cum protestatione admissi sint: ni de suo iure, aut præscribta consuetudine fidem fecerint: eorum vota in rationem ne veniunt.

Is qui maioris partis congregationis eius ecclesie ad quam promouendus est, suffragia tulerit, si nihil aliud obsit, obtineto.

31. Cū ecclesia.

Eos enim qui elegerint, eo iure diu vsos fuifse, maxumè si loci consuetudine adiuuentur, satis esto.

Sanè elegendis si quis contradicit: ius suum ipsi integrum esto. <sup>24. Querelam.</sup>

Qui ergo in possessione vel quasi canonicatus ecclesiæ fuerant, stallumque in choro & locum in capitulo habebat, eorum vota valent, & aduersarij eos (cum non tamè longè absunt, ut vocari non debeant) vocant. de eo tractant discutunt. Ita maioris numeri rationem habent. numerum cum numero comparant. zelum cum zelo & meritum cum merito conferunt. <sup>55. In genesi.</sup>

Porro capitulum quæ interim pro electionis negocio necessariè expendenda fuerint vacante fede, de bonis dignitatis addictis (præterquam si demortui bona occuparit, vsurparit) facit. vel si fecerit, recipit. <sup>45. Ut præterita.</sup>

Cum autem elegerit, electus ante confirmationem administrationi ne se immisceto. si faxit electio cassator, adnullator. <sup>17. Quæ liter.</sup>

Episcopus itaque cum demum confirmatus fuerit, quæ iurisdictionis sunt, consequitur, de excessibus subditorum aliisque (præterquam si quæ maioris acquisitionis discussionem exigunt & cõsecrationis ministerium desiderant) quod iustum fuerit, & ecclesiasticæ utilitati conuenire viderit, liberè statuit. <sup>15. Transmissam.</sup>

Metropolitanus quoque si est: suffraganeis suis, ut electum, qui ad eius iurisdictionem pertinet, consecrent, etiam si pallium non receperit, rectè mandato. <sup>11. Suffraganeis.</sup>

Prælati ipse nec eo die quo consecratur ordinibus celebrato. vnitatis enim inter ipsum & eos quibus cõcelebrat mysterium ne diuidito. <sup>28. Quod sicut Super eo.</sup>

## De transla. episcopi Tit. VI.

lium quoque archiepiscopus ni accepit, nec ipse quasi archiepiscopus ordines, nec reliqua quæ sunt ordinis, conferto.

44. *Nihil est.*

Quæ de administratione dicta sunt ita temperantor.

Vltra Italiam valde remotis (si modo in concordia electi fient) quorum confirmatio ad Ro. Pont. pertinet, in spiritualibus & temporalibus administratio alienatiõe interdicta indulta esto. munus tamen benedictionis & consecrationis solito more recipiunt.

28. *Quod sicut*

*θεμα*  
*quod autē*

Post confirmationem prælato de rebus ecclesiæ disponere, & (si de cleri & populi procedat ad sensu, dum tamen ecclesiam reddat indemnem) alienare liceto.

9. *Nosti.*

Antequam confirmatus fiet, nec honores nec præbenda concedere, nec de re vlla alia disponere olli permittitor.

7. *Cum in cunctis.*

*Deμα.*  
*cum vero.*

Cum confirmatus erit, ac iam ecclesiasticorum bonorum administrationem habere cœperit: de beneficiis quæ habebat, post decursum tēpus consecrãdis episcopis à canonibus præfinitū, is ad quæ spectat conlatio, liberè disponito.

2. *Ti. seq.*

*Inter corporalia.*

Tempus hoc sex mensium esto. vltra quod si viduatam retinesit ecclesiam, nec ibi, nec alibi donum consecrationis accepit: metropolitani sui iudicio cedere cogitor.

### De translatione Episcopi. Ti. 6.

2. *Inter corporalia*

POST electionem & confirmationem canonicam inter personas elegantium & electi